

nem. In secunda, quibus auctoribus usus sum in perquirendis auctoritatum explanationibus, terminorum, aliarumque difficultatum. Tertia vero & ultima, declarabo practicam ad eum nempe modum, ut ignaros lateat, filijs autem artis sit manifestissima: propter quos omnia redigere in optimum ordinem studui quam diligentissime: non imitatus hac in re nonnullos inuidos utilitatis R. P. homines proprijs sui commodi nimium avidos, qui suam noluerunt materiam declarare, preterquam sub diuersis varijsq; fabularum allegorijs, imo qui libros suos alijs ostendere vix voluerunt. Noui quendam qui nonnulla scripta receperat à Veneto, hac velut adorans occultabat occlusa, ut ipsemet vix auderet introspicere, ne dicam alijs ostendere, vel communicare, existimans forte lapidem ex ea papyro sola proditurum absq; labore, si modo conclusa strictissime contineretur arca, tanquam Hermetico sigillo materia philosophica. Verum ignorant isti non fortuito concessam esse tam diuinam scientiam hominibus, ut aiunt Philosophi, dum reprehendunt eos, qui non proprijs, at alienis impensis operantur. A quibus dubio procul asperime taxabor, quia hoc opusculum publicavi, presertim idiomate vulgari, cum nulla hac tempestate scientia magis vulgo sit odiosa. His breuiter volo responsum quod hactenus ignorarunt, nimirum huius diuine philosophiæ partem non esse in humana potestate, adeo ut libris solis intelligi queat, sed in voluntate Dei sita, qui reuelat cui vult per spiritum S. suum, vel per medium alicuius hominis, uti secunda libri huius parte narratur latius: tantum abest ut palam faciam omnibus. Quid noui si vulgariter scribam artem, quæ ab omnibus suis professoribus non alio sermone quam suo proprio pariter descripta fuit hactenus, ut ab Hamech Hebræo Hebraice, à Thebit & Haly Chaldaeis Philosophis Chaldaice, ab Homero, De-